



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 33. Senenses a Gallorum Rege in fidem recepti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

discessum maturaret, idem quoque Caro-  
lo suadentibus Cardinale S. Petri & Tri-  
vulcio.

Saccul. XV.  
A.C. 1495.

§. XXXIII.

*Senenses a Gallorum Rege in fidem  
recepti.*

Nihilominus Rex in hac urbe longio- *La Vigne*  
rem trahebat moram, Senensium *loc. cit.*  
precibus expugnatus, qui adversus fa-  
ctiones, quibus eorum Respublica preme-  
batur, Caroli auxilium implorabant;  
cum autem Monte-novienses devicti  
essent, reliquæ tres factiones satius du-  
ixerunt, exteri Principis imperio ultro  
sese subjecere; unde Regis præsidium  
publice exorabant, clam Ligniacensi Co-  
miti annua viginti aureorum millia pol-  
liciti, si ipse a regia sua Majestate urbis  
regimen impetrare posset. Hac de re  
Regis Senatus maturam habuit delibe-  
rationem, ubi Comminæus Ligniacensis  
sententiae acriter obstitit, mentemque  
suam his verbis declaravit: prudentiæ  
legibus consonum est, quod ea non ac-  
ceptentur, quæ semel possessa conserva-  
ri nequeunt; quid autem magis certum,  
quam quod Fœderati Gallis vix ex E-  
truria egressis, mox Monte-noviensem  
factioni, ut eorum ope res suas Senis  
restaurent, suppetias oblaturi sint, datam  
*Hist. Eccles. Tom. XXXI.* D fidem

Secul. XV.  
A.C. 1495

fidem eo facilius illis liberaturi, quo magis perspectum habent, quod Carolus Franciæ Rex eo copiarum numero destituatur, qui ad tuendam urbem necessarius foret; quinimo illi etiam præsidarii milites, qui forte imponerentur, certæ cladi exponentur, præcipue vero timendum, ne Cæsar, cum Senensis urbs ejusdem fidei obnoxia sit, hac injuria exulceratus eo perducatur, ut exercitum, quem Foederatis suppeditare promisit, duplo majorem contra Gallos educat. Ceteris quoque omnibus, qui in Senatu erant, eadem insedit opinio; Carolus tamen solus Ligniacensis voto suffragatus est: unde ea Gallis accessit ignominia, ut in se susciperent cuiusdam urbis tutelam, quam tamen nequidem per optimum tuendo pares erant; quippe Montenoviensis factio nuper inde depulsa eodem ferme tempore, quo Rex per urbis portam exceperat, per aliam denuo ingrediebatur.

§. XXXIV.

*Florentini urbes suas sibi restitui postulantes.*

In eodem Senatu agitabatur Florentinorum causa; hi enim Legatos ad Regem decernebant, qui urbes Regi olim transeunti traditas restitui postularent, pollici-

Guicci.  
hist. Ital.  
lib. 2.

